

1379. emit. (e) Idem Henricus Eques vocatur in literis aliis de Anno 1389. (f) Acquisivit etiam emtionis titulo Nepotibus ex Fratre bona quædam Anno 1384. (g) Et Burggravium in Nicolsburg Anno 1388. egit diciturque

Herz Heinrich der Steinbeiß / Ritter / Burggraff zu Nicolsburg. Ea tempestate Conradus Suppau 24. libras denariorum Viennensium præstita fidejussoria cautione ab ipso mutuas accepit. (h) Gertrudis Steinbeiffia nata de Pfundan illo tempore proficitur, Henricum Steinbeiffium ratione hæreditatis sibi à Fratre Friderico relictæ satis cumulatissime fecisse. (i) Fridericus Steinbeifs in bonis suis An: 1402. villam quandam an der Rapp/ sitam quæ à Stubenbergiis Dynastis in Feudum dari solita fuit, habuit. (k) Martha filia N. Feuchters & Sigfridi Steinbeifs uxor renunciavit hæreditati agnatorum quamdiu mascula Feuchtiorum progenies superfuerit Anno 1474. (l) Hæc ex Archivo Statuum Austriæ. Præterea Christina Steinvaldi à Fladnz filia, Hartmanni de Gallenberg vidua, cum quo genuit Johannem à Gallenberg, secundis postmodum nuptiis cum Friderico sive Fridlino (Friedlein) Steinbeifs conjuncta fuit, cui ducenas libras denariorum in dotem Anno 1393. attulit, testes fuerunt Gebhardus de Ratmanstorff & Steinvaldus de Fladniz. (m) Georgius Comes de Montfort de bonis quibusdam Maximiliano Steinbeiffio Anno 1520. hocque fato functo filiis ejus Johanni & Sigfrido Steinbeiffiis Anno 1535. investituram dedit. (n) Johanni Steinbeiffio filii quatuor fuere, Maximilianus, Ernricus sive Honorius, Johannes, Georgius & Christophorus, qui à Johanne Archi-Episcopo Salisburgensi decimas in sequentibus pagis zu Nigen / zu Preitenfeld / zu Spizhart / zu Sinnkind / zu Wolckendorff / zu Preitenbach / zu Ottendorff / zu Ziegenreit / zu Krenau / zu Schwenitz / zu Grub in valle Ritscheinthel / sitis Anno 1566. in feudum acceperunt. (o)

(a) Archivum Statuum Austriæ num. 427. (b) Ibi num. 590. (c) Ibi num. 648. (d) Ibi num. 824. (e) Ibi num. 1003. (f) Ibi num. 1100. (g) Ibi num. 1128. (h) Ibi num. 1210. (i) Ibi num. 1247. (k) Ibi num. 1575. (l) Ibi num. 3144. (m) Archiv. Wurmbbrand num. 224. (n) Docum. Famil. Steinbeifs. (o) Aliud Famil. docum.

CAPUT XLVII.

BARONES RAUBERI.

Vetusti Barones Rauberi ex Carniola orti sunt. Wolffgan-
 gus Lazius lib. 6. de migrat. Gent. p. 204. originem no-